



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1659.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

Acerrimè hoc anno pugnatum inter Suecos & Danos, horumque fœderatos Batavos. In Suecorum potestatem cessit insula Fionia; Obsidionem tamen Haffniæ post profligatam suam classem in freto Sundico à navibus Batavis Danorum auxiliaribus cum clade incensis castris solvere coguntur.

Galli suæ ditioni adjiciunt partem non modicam Belgii cum Düinkercka, Grave-linga, Ypris, aliisque urbibus non ignobilibus.

Mense Septembri moritur in Anglia Cromvelius Gubernator magnæ Britanniaë relicto Successore, dignitatis filio Richardo.

Thorunum post cruentam sex mensium obsidionem à Cæsariano - Polonis ad dediti-  
tionem cogitur.

Thomas Villanovanus Archi-Episcopus Valentinus 1. Novembr, à Papa Sanctorum cætui solenniter accensetur.

*ANNUS 1659.*

**I**terum ab obsidione Haffniæ cum magnâ clade rejiciuntur Sueci mense Februario, à Danis, firmatis subsidio Cæsareo; Eiusdem ope ejiciuntur Sueci ex insula Fionia, quam anno elapso occupârant, ac fœde diripuerant.

Mense

Mense Majo ineunte armorum indicta suspensio Hispanos inter & Francos, præ-nuncia vicinæ pacis, quæ demum 12. No-vembris in insula Phasianorum fluminis Vidossæ prope Bajonem, ubi dividitur Gal-lia ab Hispania, confecta est per Matrimoni-um conclusum inter Regem Christianissi-mum, & Teresiam filiam Regis Catholici cum pacto, ut illa renunciaret Juri succe-dendi in Regno Hispaniæ deficientibus masculis.

In Anglia novæ turbæ. Ineunte Majo, agentibus præcipue Muckio Scoto & Lam-berto Anglo, Ducibus exercitûs Anglici & Scotici, Parlamentum novum dissolutum, vetus restitutum, Protector Richardus ex-authoratus, & ne aliquid auderet, prudenter provisum & illi & regno.

Dux Lotharingiæ captivus in Hispania libertati restituitur, protestatur contra quæ-dam capita pacis Hispano Gallicæ.

Inter Turcas & Ragozium Transylvanû vario Marte pugnatum, Transylvano tamen semper formidando Turcis seu victo seu victore.

A Morosino Venetæ classis Præfecto ex-pugnata in Morea urbs Methone; & fau-ces interclusæ Hellepontii.

*AN-*